

multitudinem, in confesso est apud omnes; & probat noster Siracides, dum eos appellat *populum Dei*; populus enim alicujus civitatis multitudo est concordie communionem, & juris consensu sociata. Hinc Angeli in tres Hierarchias, infimam, mediam, & supremam; atque in novem Ordines sunt à Deo distributi concordie ordinatione, & ordinatâ concordia. Nihil siquidem à Creatore, qui cuncta fecit in numero, pondere, & mensura, inordinatum profilit: & cum ordo, pulchritudinis ratio sit, uti nihil civitate illâ sanctâ Jerusalem pulchrius, ita nihil eâ ordinatius. Huc spectabat S. Job c. 25. 2. *Potestas & terror apud eum est, qui facit concordiam in sublimibus. Numquid est numerus militum ejus? Per sublimia, Angelos intelligunt Philippus, S. Thomas, Cajetanus, Dionysius, & alii; quos Deus omnipotentia, & Sapientia suâ in unius mentis voluntate, & consensione miscere continet, etsi innumerabiles sint.* Subinde divinus Sponsus Cant. 6. 8. commendans Ecclesie Christiane concordiam, & ordinem hostibus formidabilem, eam Angelorum exercitui assimilavit unanimi inter se consensione ordinato: *Terribilis ut castrorum acies ordinata.* Coelestes quidem Spiritus aciem ordinatam appellavit ab ordine, & concordia, quam inter se retinent, & quâ uno impetu, unoque sensu Dei jussa exequentur. Arguta est S. August. interpretatio ad illud Genes. 1. 3. *Dixit Deus: Fiat lux, & facta est lux: factumque est vesper & mane dies unus.* Ubi per lucem Angelos intelligens, in unitate dici, Angelorum unitatem agnoscit: lib. 11. de Civit. Dei c. 9. *Angeli sunt illa lux, quae diei nomen accepit, cujus unitas ut commendaretur, non est dictus dies primus, sed dies unus.* Hinc succrescere nimio opere dixeris innumerabilem Angelorum multitudinem. Ut enim argute S. Chryso. Homil. 1. de Dilectione; *Nihil cum concordia comparandum: sic enim singuli multorum instar erunt: si enim unanimes fuerint, duo, aut decem, jam unus, sed singuli eorum quasi decem sunt: ac si inimicum habeant, qui illorum unum invadat, ille non secus, ac si decem adoratus esset capitur.* Ecce qua ratione ex Angelorum millibus unus, non unus, sed decem sit, ut ex concordie numerositate crescat incredibiliter eorum numerus. Cherubim binario, seu duobus Moysis Cherubim universam Angelorum republicam significari, putat Alcazar noster ad c. 4. Apoc. Notatio 9. quod probat ex S. Dionys. Beda, Angelomo & alius. Ubi expendo, Angelorum quemvis appellari *Cherub*. Adhuc tamen cum unum ex Angelis significet, multitudinis numerum designat: nam *Cherub* ex multorum placito est quasi *multiplex*, quasi *plures*, sive quasi *multitudo*. Sed unde, quæso Angelorum unus pro ingenti multitudine est, & quasi in plures multiplicatur? Sanè non aliunde quam à concordia, & ordine, quem inter se servant, & significari expositores putant binario illo Cherubimorum propitiatorum obumbrantium, ipsoque alarum amplexu, quasi datis brachiis, & manibus in concordiam conspirantium. *Ideo duo sunt* (ait S. August. q. 105. in Exod.) *ut societatem charitatis commendent*, ut concordiae vires, atque ordinis excellentiam nobis ostendant: quo efficiamur singuli non singuli, sed decem, sed plures, sed ingens multitudo.

Concursus Angelorum multitudo.
Job 25. 2.
S. Chryf.
Concordes etiam si pauci, innumeri sunt.
Cherub, id est, multiplex cum concordia.
S. August.

202 Hic rogabis: Quorsum Deus ad infinita propemodum millia Angelos esse diffusos, & numero penè innumerabiles existere voluit? Accipe primam hujus rei causam ex Nazianzeno Orat. panegyrica in Christi Nativitatem. *Quoniam divina bonitati nequaquam satisfacta erat suâ ipsius solum contemplatione moveri, à Deo creata, sed bonum diffundi ac propagari oportebat, ut ea plurima essent, quae beneficio afficerentur (id enim S. Nazian, summa bonitatis erat) primum Angelicas, & caelestes virtutes cogitavit, atque illa cogitatio opus erat, quod Verbo conficiebatur, ac Spiritu explebatur. Atque ita secundi splendoris procreati sunt, primi splendoris ministri.* Sibi consonat magnus hic Theologus Carmine de mundo ita eleganter.
*Namque suum latè cupiebat fundere Numen; Scilicet, ut plures, quibus induperare haberet Caelicolas, pluresque sua quos luce bearet. Nam Patri hæc demum superi est natura, beare. Perspicue docet, ideo à rerum omnium opifice, atque auctore tot Angelorum millia imprimis producta; quia Deus, cum sit summum bonum sui diffusivum, juxta ipsius bonitatis naturam, multis Angelorum millibus bonitatem suam, beatitudinem, pulchritudinem, reliquaque perfectiones communicare voluit: eosque sibi simillimos, quantum fert eorum conditio, reddere. Preme adhuc illa Nazianzeni verba: *Atque ita secundi splendoris procreati sunt, primi splendoris ministri.* Pulchra quidem comparatio: ut enim sol mox ut coruscantem lucem ad extra in aëre ineffabili radiatione diffundit, innumeros radios ocyssimè quoquo-versus, & ubique splendentes exhalat, solaris pulchritudinis participes; ita Dei natura summe bona, ut se extrâ communicare dignata est, mox primo loco innumerabiles Angelos, naturæ splendore micantes, & divinæ pulchritudinis participes, quasi splendorum effudit. Sic Dei natura diffusa, & propagata est; sic suum numen longè latèque profudit Deus, sicut sol radios suos: atque id sanè exposcebat jure suo summa bonitas.*
203 Rursus, cum Deus O. M. sit purus spiritus, & Rex infinitæ majestatis, Rex Regum, & Dominus dominantium, & ad offensionem supremæ gloriæ suæ cælum empyreum produxerit, ipsius domicilium, beatorum sedem quietam, coruscantem splendore admirabili, theatrum pulchritudinis inestimabilis; locum quidem immensæ capacitatis, & magnitudinis; oportuit innumeros Angelos, numerosissimum populum, & infinitam familiam spirituum Deo assistentium, & ministrantium, empyreique incolae creari: id quippe sibi maxime vendicabat tanta Majestas. Ut enim Rex Pacificus Prov. 14. 28. *In multitudine populi dignitas Regis: & in paucitate plebis ignominia Principis.* Hinc Christus D. ut Patris sui, suamque majestatem ostenderet, Petro apud *Hortum* aiebat Matt. 26. 53. *An putas, quia Matt. 26. non possum rogare Patrem meum; & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum?* Quasi dicat; Patrem habeo, cujus tanta est majestas, ut ei tanquam Domino, ac Regi maximo, ihumilliorum, & obsequentissimorum ministrorum instar, semper adfent Angeli penè infiniti. Quò spectat ad ornatum aliqualem, numerosa Salomonis familia; quam fuisse *multam nimis* ipse testatur in suo Ecclesiastice c. 2. 7. *Consule ibi nostros Pinedam; & lib. 5. de rebus Salomonis c. 8. & Villal-Villapan-*

Quorsum tot Angelorum millia à Deo creata, sed bonum diffundi ac propagari oportebat, ut ea plurima essent, quae beneficio afficerentur (id enim S. Nazian, summa bonitatis erat) primum Angelicas, & caelestes virtutes cogitavit, atque illa cogitatio opus erat, quod Verbo conficiebatur, ac Spiritu explebatur. Atque ita secundi splendoris procreati sunt, primi splendoris ministri.
Ad Dei summi Regis majestatem spectant tot Angelorum millia.
Numerosa Salomonis familia.
Villal-Villapan-

204 Tfi non defuerint aliqui, qui Angelos sine gratia, charitate supernaturali conditos fuisse autumaverint, sed in statu merè naturali; communis tamen, & vera Theologorum doctrina docet ex Scriptura & Patribus, Angelos in gratia creatos à liberalissimo conditore; habuerunt enim à Principio omnia, quae requiri poterant ad gratiae diffusionem; nimirum perfectio naturæ nobilissimæ, & absèntia culpæ. Sic ex merito ad majorem gratiae plenitudinem, & ad tantam gloriam, quâ modò potiuntur, affurgere potuerunt: fuerunt enim viatores, æquali omnibus viæ duratione attributa, quam non est facile divinare, satis tamen constat non fuisse diuturnam, cum ante hominis conditionem ruina superbientis diaboli acciderit. Igitur propter hanc gratiae infusionem, & augmentum, quod procul dubio ingens exitit, Angelos appellat Siracides *Plenitudinem sanctam*: id est, cætus sanctitate plenus, & maximis gratiæ donis cumulatè insignitus; seu plenum Sanctorum conventum. Hinc Angeli Sanctorum nomine solent circumscribi in sacris litteris, ut qui per excellentiam sanctitate pleni sint, Deuter. 33. 2. *Dominus de Sina venit, & de Seir ortus est nobis; apparuit de monte Pharan, & cum eo SANCTORUM millia, & in dextera ejus ignea lex.* Appellat utique innumeros Angelorum cœtus, *Sanctorum millia*: his enim stipatus Deus descendit daturus legem. Sic etiam Job 15. 15. *Ecce inter Sanctos ejus nemo immutabilis.* Communior interpretatio Angelos intelligit: *Nimirum sunt Angeli mutabilem adepti naturam, ita ut eorum nonnulli suam stationem deseruerint: ut loquitur ibi Polychronius in carena Græca nostri Pauli Comitoli. Eò etiam spectat David Ps. 89. Deus qui glorificatur in consilio Sanctorum: id est, Angelorum. Et Zachar. 14. 5. Veniet Dominus Deus meus, omnesque sancti cum eo. Quod Evangelista perspicue dixit: *Cum venerit Filius hominis in sede majestatis suae, & omnes Angeli cum eo.* Certè, sancti per antonomasiam appellantur Angeli, quia eorum sanctitas plena est, ab omni scelere libera, perfectæque, ac omni ex parte incontaminata puritatis; ut verbis utar S. Dionys. Areop. lib. de divinis Nomin. c. 12.*

Athenaus.
Dan. 7. 10.
S. II.
Mira Angelorum sanctitas, & præcelsa Gloria.
Deut. 33. 2.
Job 15. 15.
Polychronius.
S. Dion. Areop.

lustro. *Imago Dei est Angelus, manifestatio oculi luminis, speculum purum, splendidissimum, immaculatum, incontaminatum, inquinatum; recipiens totam (si justum est dicere) speciositatem bene formatae deiformitatis, & pure declarans in se ipso, sicut possibile est, bonitatem, quæ est in abditis.* Speculum undeque purissimum appellat Angelorum quemque, qui perfectissimè refert Dei imaginem, pulchritudinem, & bonitatem, primamque illam lucem inaccessibleem. Certè plenam Angelorum Sanctitatem, & naturam multiplicis gratiæ donis insignitam, eadem ratione explicat & commendat, quâ Salomon Sap. 7. 26. explicavit, & commendavit æterni Verbi purissimam generationem in splendoribus sanctitatis, per quam Deus Pater in illud tanquam in filium à se progenitum, conceptum sapientiæ, & imaginem transfudit essentiam suam totam cum omnibus ejus bonis. *Candor est enim lucis aeterna, & speculum Dei majestatis, & imago bonitatis illius.* Etenim, quoadusque Deus Angelos condidit, quasi in abditis erant ejus imago, & æternum illud lumen; ejus speciositas, sanctitas, & bonitas. At ubi primùm Angelicas, & caelestes virtutes procreavit, merè spiritus, mentesque nobilissimas; in illis imago Dei manifesta est, lumen, speciositas, sanctitas, & bonitas divina tanquam in nitidissimo speculo exactè imagines exprimente.
206 Hinc Angeli, ob naturæ, gratiæque dona, appellantur primò *imagines Dei*. Dan. 3. 92. *Species quartæ similis Filio Dei.* Vel, ut Hieronymus legit, *similitudo Filii Dei.* Quod de Angelo debet intelligi, ut claret ex v. 95. *Angeli imago, & filii Dei, imò & filii Dei.* Sic etiam Lucifer ante ejus casum, vocatur *signaculum similitudinis*, multorum interpretatione. Secundò dicuntur *Filii Dei* Job 1. 6. *Cum venissent Filii Dei, ut assisterent coram Domino.* Et c. 38. *Cum me laudarent astra matutina, & jubilarent omnes Filii Dei.* Cant. 2. 3. *Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter Filios.* Chaldaeus vertit; *inter Angelos.* Tertio nuncupantur *Dii* Psal. 81. 1. *Deus stetit in Synagoga Deorum;* id est, Angelorum. Et Ps. 94. 3. *Deus magnus super omnes Deos.* Et Ps. 96. 8. *Adorate eum omnes Angeli ejus.* In his enim, aliisque similibus locis ponitur vox *Hebræa elohim*; quam Hebræi, & S. Hieron. nunc Deos, nunc Angelos interpretantur. Unde illud Ps. 8. 6. *Ministri paulò minus ab Angelis.* S. Hieron. Pagninus, Felix, & Theodotio vertunt; *Paulò minus à Deo.* Tob. 3. 34. *Exaudita sunt preces amborum in conspectu glorie summi Dei.* Romanus correctus legit: *In conspectu glorie magni Raphaëlis.* Accedit Angelorum nomina cum Dei nomine affirmari. Sic *Michael, Raphael, Gabriel, Uriel* efformantur cum nomine Dei: quasi Angelorum nominibus auditis, ad Deum ipsum animus elevetur. En tibi, quo jure Angelus speculum fit clarissimum perfectissimè Dei imaginem, Dei filiationem, Deiformitatem ipsam, Dei naturam, sanctitatem, majestatem, & bonitatem recipiens, ac referens: imò trium divinarum personarum perfectiones exprimens, quomodo potest. Ut enim S. Nazianzenus Orat. in Christi Nativitatem; *Pater æternus Angelicas, & caelestes virtutes cogitavit, atque illa cogitatio opus erat, quod Verbo conficiebatur, ac Spiritu explebatur.* Itaque in Angelis, quasi in candidissimo speculo, sese produunt præcipuè

Angeli specula unde, quæque purissima.
S. Dionys. Areop.
Sap. 17. 26.
Splendet in illis imago Dei atque quæ abscondita.
Dan. 3. 92.
Angeli imago, & filii Dei, imò & filii Dei.
Job 1. 6.
Cant. 2. 3.
Ps. 94. 3.
Ps. 96. 8.
Tob. 3. 34.
Angolorum nominibus auditis, ad Deum ipsum animus elevetur.
S. Nazianz.